

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE
CHOLERA,

QVAM
DEO CLEMENTISSIME
ANNVENTE,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,
PRÆNOBILI ET CONSULTISSIMO VIRO,

DN. CONRADO WILHELMO
STRECKER, JCTO,

EMINENTISS. AC CELSISS. PRINC. ELECT. MOGVNT. CONSIL. REGIMINIS,
IVRID. FACVLT. ASSESS. SENIORE, COD. PROF. PVBL. ORDIN. CIVIT.
STND. ET CONSVLE PRIMARIO,

CONSENSV ET AVCTORITATE
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN PERANTIQA HIERANA,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, IVRA,
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME MORE MAJORVM CONSEQVENDI,
PVBLICAE ET SOLEMNI DISQVISITIONI SVBMITTIT
AVCTOR

JOSEPHVS GABRIEL HEIN,

SILESIO-LEOBSCHÜTZENSIS,
AA. LL. & Philos. Magist. ac Medicinæ Practicus.

IN AVDITORIO MAJORI COLL. MAJ. HOR. CONSVET.
DIE XII. MARTII A. M DCC XLV.

Pathol. spec.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

370,20

Mbispoo 900

DEPARTMENTO IN VINO MEDICA

DE
CHOLERA

DEO CLEMENTE
ANNIS

DR. CARLO WILHELM
STRECKER

UNIVERSITÄT ZÜRICH
FACULTÄT DER MEDIZIN

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

PRO LICENTIA

STIMULANTIA

IN VINO MEDICA

DEO CLEMENTE

ANNIS

DEO CLEMENTE

REVERENDISSIMO
ILLVSTR^{AC}ISSIMO
DOMINO
DN. ANSELMO
FRANCISCO
ERNESTO
LIBERO BARONI
DE WARSBERG,

ECCLESIARVM METROPOLITANARVM ET CATHE-
DRALIVM MOGVNTINÆ, TREVIRENSIS ET SPIRENSIS
RESPECTIVE PRÆPOSITO, CHORI-EPISCOPO
ET CAPITVLARI,

EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIO INTIMO,

CIVITATIS TERRITORIIQVE ERFVRTENSIS
PRO-PRINCIPI &c. &c.

DOMINO AC MÆCENATI SVO
GRATIOSISSIMO.

REVERENDISSIME
AC
ILLVSTRISSE
PRO-PRINCEPS,
DOMINE DOMINE
GRATIOSISSIME!



*D*atere, REVERENDISSIME ac IL-
LVSTRISSE PRO-PRINCEPS,
ut exiguas has Thesium mearum paginas
Gratiosissimo Nomini TVO inscribere ausim, submis-
sisimoque affectu consecrem ac offeram. Nescio enim,
emenso

emenso quondam studio theoretico, alium Mecenatem
ac Evergetam, quam TE litteratorum omnium aman-
tissimum Protectorem, communisque ac privatae omnium
incolumitatis vel maximè providum & Conservatorem,
& Promotorem. TIBI proinde eas in humillimam de-
bitæ gratitudinis, pro plurimis in me à singulari TVA
munificentia cumulatis gratiis, tesseram volui esse sacras,
maximâ fretus fiducia, hocce munus, etsi re ac mole exi-
guum tantisque in me profectis gratiis longe inferius, eo
gratiosiore tamen beatum iri obtutu, quo magis mihi
omnibusque notissima sunt tam TVA benignissima obla-
ti & devotissimè offerentis voluntatis ponderatio, quam
eximia TVA, quâ in litteras earumque fautores ac cul-
tores fereris, profusissima gratia.

Accipe ergo, REVERENDISSIME ac IL-
LVSTRISIME PRO-PRINCEPS, eadem, ut
soles, frontis serenitate minimi servi TVI, ad pedes
TVOS provoluti, exiguum hoc laborum suorum speci-
men, illudque sub ILLVSTRISIMI NOMINIS
TVI præsidio protegere ac gratiosissime fovere dignare.
Pro quo concesso desideratissimo beneficio præpotens Nu-
men

*men supplex exorabo, ut REVERENDISSIMÆ
& ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONIS
TVÆ cœpta omni felicitatis ac benedictionis genere
reddat fortunatissima. Conservet Personam TVAM
per plurima subsequētia lustra salvam & incolumem
quam diutissime, mihi verò concedat, cum humillima
mentis contestatione TE meum suspicere & venerari
Mæcenatem gratiosissimum; ita vovet*

REVERENDISSIMÆ
ET
ILLVSTRISSIMÆ
DOMINATIONIS TVÆ

servorum infimus
JOSEPHVS GABRIEL HEIN.



P R O O E M I V M.



Quantus thesaurus, & quam excellens atque divinum beneficium firma corporis constitutio & valetudo integra sit, plurimi mortalium tum denique cognoscunt, si in negotio tum sanitatis, tum morborum occupati, omnimodam curam in eadem adhibent. Non est, ut probem hujus asserti veritatem, cum res in se jam nota & ubique pervulgata sit. Rationem verò ejusdem comprobatam adjungam, demonstraturus, quod solidissimum sanitatis studium, morborumque inde propullulantium consuetaria ex consuetudine tum exoptata atque laudabili, tum perversa, originem suam capiant, qua servata plurimi hominum, quam diu omnia faustè eveniunt,

niunt, rarò de præsentibus ac futuris ex æquo & bono, sed potius ex sensu oculorum atque voluptatis judicant, sententiamque ferunt. Hinc enim fit, ut vera à falsis non ritè distinguant, sed cupiditatibus obcæcati bona firmiora, præstantissima ac vera, pro simulatis, ac speciosis habeant, æstimentque, voluptatesque caducas ac fugaces integræ valetudini anteponant, donec nimis adversæ sanitatis vi coacti, egregiam, omnique modo corruptam ejusdem laudabilem conditionem perspicuè intelligant, & comprobent. Non opus erit, plura jamjam, quæ ad intemeratæ hujus veritatis laudem, & decus pertinent, prosequi; sufficiet, paucis hæcce delibâsse, quæ tamen luculenter docebunt, principatum inter innúmerabilia summi Numinis beneficia bonam valetudinem merito obtinere, imo scopum meum exactius attingam, si testem de modo allatis produxero CHOLERAM, morbum illum acutum, & perniciosum, quo sæviente, atque ingravescente, ea, quæ protuli, luce meridiana clarius elucescunt: quid enim miseri eodem detenti aliud agunt? quid in votis habent?
nisi

nisi morbi allevationem, dum nihil utilius, nihilque magnificentius, bona valetudine esse vident, atque intelligunt. Cara, sancta, ac magni est pretii, maxima cum spe eandem intuituris & expectaturis. Operam itaque ac oleum me non perditurum esse arbitratus sum, si morbi hujus admodum gravis, atrocis atque mortiferi, causas, ac rationes, accuratè, diligenter, studioseque perpendere ac investigare contenderem, inprimis, quum aliquando occultis adjudicari soleat causis & qualitatibus. Elegi itaque istam Thematicis inauguralis locò materiam, sub auspiciis Divinis, & periculosum hunc morbum, quantum id quidem in me positum erit, pertractare mecum constitui. Cui labori ut summus Archiater faveat, hosque meos conatus faustos atque fortunatos esse jubeat, devotissima mente precor.

§. I.

CHOLERA est vehemens atque immodica, modo massæ biliosæ, acris, plus minus viscidæ, modo flatuum, per vomitus, & inferiora ejectio, & propulsio, variis perniciosissimis symptomatibus stipata. Prior species dicitur *humida*, posterior *secca*.

§. II.

De Origine vocis *Choleræ* certamen est inter eruditos, quidam enim cum GALENO istam derivant ἀπὸ τῆς χολῆς, à *bile*, siquidem amarissimus hic liquor maxima ex parte ægros hoc morbo detentos affligit, plurimum augmentum, atque perniciem affert; imo verò causa ejusdem præcipua, principalis atque gravissima est. Verum enim verò cum teste experientia sæpissime Cholera aquosa, saniosa, ichorosa, purulentaque visa & observata sit, hinc alii convenientiorem protulerunt sententiam, quam & nos secuturi sumus, derivantes nimirum modo recensitum morbum, juxta antiquiores ἀπὸ τῶν χολάδων, sive *intestinis*, quod maxime duodenum subjectum morbi primarium constituat; liquoribus enim acrioribus eidem infusis, vel in tunicis eorum subsistentibus, non modo nunquam patiuntur quietem, dum mirum in modum irritantur, crispantur, atque debilitantur, verum etiam in motum rapiuntur molestissimum, constringuntur, & humores stillantes magis magisque advocant & eructant, ut tali ratione gravissima omnino excitentur symptomata.

§. III.

Diximus in definitione §. I. tradita, Choleram esse duplicis generis, *humidam* nimirum, vel *siccam*. Humida consistit præcipuè in exacerbatione motus peristaltici ventriculi & intestinorum molestissima, per os & alvum ejectione atque propulsione saburræ acris, biliosæ, modo flavæ, citrinæ, viridis, nigræ, rutilantis, modo acidæ, foetidæ, viscosæ, ichorosæ purulentæ, tanta sæpissime morsicante acrimonia præditæ, ut æque
fauces

fauces, ac anus, imo non raro reliquæ ventriculi atque intestinorum partes internæ ab eadem erodantur, & exedantur. Pertinet itaque morbus hic ad symptomata excretorum, & retentorum, cum excernenda partim non tanta cum molestia, difficultate, atque labore, sed per vices sensim atque successu temporis, non verò simul, & semel eliminanda atque ejienda, partim etiam quædam laudabilia, nimirum fluida, potius retinenda essent. Affliguntur præterea miseri Cardialgia, nausea, ructibus, respiratione difficili, insigni præcordiorum anxietate, singultu, inquietudine, animi dejectione, imo haud raro deliriis, sudore frigido, abdominis ac intestinorum doloribus gravissimis, tenesmo, artuum tremore, imo eorundem spasmus ac convulsione, maxime in pedibus, brachiisque eveniente, extremorum frigore & horrore, siti inexplebili aliisque. Pulsus semper fere solet esse irregularis, parvus, frequens, inæqualis, concurrente calore præternaturali, febris vero huic affectui ordinarie non est juncta, nisi negotio excernendæ saburræ acris, biliosæ, notabile inferatur impedimentum, vel acrimonia singularem adeptam sit causticitatis gradum, ut hinc partes internæ inflammentur, sanguinique acrimonia modo dicta insigni commisceatur quantitate.

§. IV.

Siccæ Cholerae conditio ista est, motus nimirum peristalticus usque adeo deprehenditur imminutus, & debilitatus, ut flatuum præternaturalis, anxia, atque molesta infra supraque oriatur excretio, jure itaque eodem, uti §. præcedenti de Cholera humida demonstratum

tum

tum & rationibus firmatum fuit, hæc quoque in numero symptomatum excretorum & retentorum erit. Cum verò modò dicta flatuum emissio plerumque multa, magnaue difficultate atque molestia comitata esse soleat, ut eam ob causam summè dolorosa, atque torminosa evadat, hinc fit, ut stagnantes atque incarcerati hi flatus partes sensibiles nerveas ventriculi æque, ac intestinorum, nec non diaphragmatis, eorumque ac abdominis musculos distendendo, vasaque majora sanguifera comprimendo, insignem non modo efficiant dolorem, verum etiam miseri angustia spirandi, oppressione, atque anxietate præcordiali, exquisitissimo circa orificium ventriculi sinistrum dolore, hincque cardialgia, imò verò & convulsivis artuum agitationibus excrucientur & torqueantur.

§. V.

Antequam verò ad causas affectus nostri speciales, reliquaue pertractanda accedamus, subjecti erit habenda ratio, insimulque paucis ea tantummodo, quæ necessaria, quibusque carere vix poterimus, ex anatomicis atque physiologicis repetenda & adducenda erunt, ne nimis diffusa evadat hæc nostra tractatio. Subjectum itaque utriusque hujus Cholerae principale est Ventriculus, duodenum totusque intestinorum tractus, per quæ actus Vomitionis, atque Diarhœæ exercetur, & excretiones modo memoratæ fiunt. Adæquatum vero subjectum erit hepar, vesicula fellea, atque Pancreas, imò aliæ partes vicinæ, v. g. lien, &c. quoniam fomes iteratorum stimulorum in iisdem non modo sæpenumerò quærendus est, cum per transudantia liquida

quida

quida acriora modo recensitum affectum invitant, verum etiam ob connexionem generis nervosi propinquiores, insimul quoque commotionem, concussionem, & convulsionem repetitam, partiumque distensionem & compressionem inducunt, hincque ad nimiam contentorum effusionem atque excretionem occasionem præbent. In Ventriculo, organo isto eximio, a supremo Numine ad alimenta recipienda, resolvenda, & ad intestinum duodenum propellenda destinato, consideramus præcipue ejusdem substantiam, è quatuor tunicis constructam, quarum exterior, *membranacea* dicta, connexa deprehenditur cum peritonæo, altera *musculosa* ex duplici fibrarum serie est contexta & composita, longitudinalibus nimirum, ab uno ventriculi orificio ad alterum directis, & transversalibus, sive spiralibus & circularibus, inter utrumque orificium oblique versus superiora excurrentibus, unde, si utræque hæ fibræ in statu naturali agunt, partium contentarum trituration, compressio & commixtio, hincque fermentatio, digestio, tandemque per valvulam pylori ad intestinum duodenum propulsio, oritur. Aequabili vero naturali ac moderato hoc motu præter modum aucto, concitato, hincque depravato, aliter fieri haud potest, quin, cum musculorum motus tonicus absolvatur ope contractionis, his præter naturam atque ordinem irritatis, commotis, & agitatis, motus eorum reddatur violentus, immodicus atque vehemens, hincque cavitas eorundem eousque diminuat, ut partes contentæ cum impetu per vomitionem extrudantur & rejiciantur. Musculosam tunicam excipit *nervea*, de qua mox dicturi sumus, dum

B

de

de ipsis nervis agemus; *villosa* denique, cum præcedente coherens, composita est ex vasculis sanguiferis partibusque glandulosis & nervosis; in glandulis secernitur è sanguine liquidum quoddam mediæ naturæ, ex quo, large atque copiose cum liquido nerveo commixto, producitur dein liquor gastricus, sive menstruum ventriculi, cujus præcipuum officium est, ut tunicam villosam irritando atque stimulando, ciborum appetentiam invitet, famem excitet ingestorumque digestionem promoveat, recedente vero eodem atque deflectente à naturali conditione, evenit, ut spiritibus animalibus deficientibus, desiderium cibi & potûs tollatur; ventriculo enim tono destituto, digestio summe læditur, unde flatus, & cruditates viscidæ ac pituitosæ necessario generantur. Hæc modo dicta eo magis locum habent, si acrimonia menstrui ventriculi novum induat genium, ac vel plane invertatur, vel ejusdem secretio notabiliter perturbetur atque impediatur. Menstrui verò ventriculi acrimonia si præter modum aucta, efferataque reddita, ac insuper bili minus temperatæ, succo pancreatico rosivo, liquorique glandularum intestinalium acriori admixta fuerit, tunc intestinorum æque, ac ventriculi parietes ab eadem stimulantur, atque arroduntur, hinc cum eadem tantam ferre haud valeant irritationem, sese contrahunt, affectumque hunc invitant. Nervorum propagines in ventriculo conspicuæ, itidem considerandæ nunc veniunt. Accipit verò duos eximios ramos à pari vago, ad sinistrum ejusdem orificium directos, ex quo loco totam ipsius perreptant substantiam, tunicamque constituunt
nerveam,

nerveam, præcipuè vero ramus ille magis introrsum penetrans potissimum Pylorum versus tendit, externus verò fundum versus ventriculi abit. Ope ramì modo dicti interni insuper quoque nervi ventriculi connexionem habent cum hepate: Dum enim iste è ventriculo progreditur, atque cum intercostali dextro jungitur, statim dein ad hepar, vasaque bilifera tendit. Connectuntur porro quoque nervi ventriculi cum intestinis, ope modo nominati paris vagi, & nervorum intercostalium, quemadmodum etiam cum capite beneficio ejusdem paris connexionem habent, nec non cum renibus pedibusque consentiunt, auxilio nervorum intercostalium, paris vagi, ossis sacri & lumborum. Præterea quoque consensus satis evidens cum pulmonibus & diaphragmate deprehenditur, quippe qui ope paris vagi, & nervi diaphragmatici contingit, exinde itaque symptomatum in Cholera adedò discrepantium & multiplicium vera ratio facile indagari poterit.

§. VI.

Porro inter subjecta Cholerae principalia maximam inprimis considerationem merentur intestina, quoniam immediate pariter & simul gravissime in hoc morbo affliguntur. Constituunt vero intestina canalem cylindricum & membranaceum, à Pyloro ventriculi originem trahentem, variis, iisque mirabilibus, circumvolutionibus atque anfractibus figuram, situm, atque structuram mutantem, demumque in ano sese terminantem. Silentio præterimus, brevitatis causa, eorundem divisionem in *tenuia* & *crassa*, nec non diver-

ſam eorum craſſitiem, ſoliditatem, vaſaque ſanguifera, attendentes jam ſolummodo ad eorum tunicas, muſculos, valvulas, nervoſasque partes. Conſtant atque compoſita ſunt è quinque tunicis, membranacea nimirum, cum peritonæo, meſenterio, atque muſculo communi, connexa, cellulosa Ruyschiana, pro pinguedine ſecernenda, atque continenda, præcipue adaptata, porro muſculoſa, quam duplici fibrarum ordine inſtructam deprehendimus, longitudinalibus nimirum & circularibus, ſegmenti circuli ſimilitudinem atque ſpeciem gerentibus, quarum ope motus abſolvitur periftalticus; agentibus enim longitudinalibus, abbreviantur inteſtina, circularibus verò ſeſe contrahentibus, contrahuntur atque anguſtantur eadem, contentaque hac ratione ulterius propelluntur ac protruduntur. Excipit porro hanc tunica nervea, quæ eſt compoſita ex nervoſis præcipue expansionibus, nec non glandulis lympham ſecernentibus copioſiſſimis, vaſisque ſanguiferis. Villoſa tandem, oſcula atque orificia glandularum vaſorumque lacteorum ſuſcipiens, valvulas habet, ab eadem ipſa æque, ac nervea tunica formatas, varii generis conniventes, in fine inteſtini duodeni ſcaturientes & ad anum uſque progredientes. Retardatur ope illarum chymi tranſitus in tenuibus, pro exactiori hujus ſucci nutritii obtinenda ſecretione; motu vero inteſtinorum præter modum accelerato, hincque eorum cavitate anguſtata, vis horum canalium eouſque augetur, ut magno & ſingulari impetu contenta ſuſum deorſumque exturbent, extrudant atque expellant. Lympha in glandulis fere innumeris ſecreta
ſali-

salivæ est consimilis, & in tenuibus ulteriori chyli inservit dilutioni, in crassis vero scybalis humectandis, promovendæque illorum exonerationi, quo tanto facilius removeri queant, potissimum inservit. Depravata verò ejusdem secretionem, ordinariè vel imminuitur, vel præter modum augetur; si imminuta est, tunc chymi non rite succedit elaboratio, sed vitiatur, magisque cohærens ac viscidus redditur, hoc vero factò cruditates, flatuum & spasmodorum matrices, oriuntur. Nimia vero copiâ si se- & excretio illa fiat, tunc ejusdem augetur quantitas, irritantur hinc intestina & stimulantur, magisque se se contrahunt, & hinc alvinæ excretionem frequentiores evadunt, unô verbô diarrhœa excitatur. Nervi intestinorum originem maxime ducunt à pari vago atque intercostali, insuper tamen etiam à plexu nervoso, è centro mesenterii, surculos ramosque varios adhuc accipiunt.

§ VII.

Reliquum nunc est, ut jam ad subjecta morbi hujus adæquata, hepar nimirum, pancreas, lienem, &c. animum convertamus, atque simul demonstremus, qua ratione insidias struant, & ad illum excitandum concurrant. Hepar, eximia atque excellens illa bilis officina, in dextro hypochondrio, in regione epigastrica situm habet; contemplabimur verò, pro intentione nostra exequenda, paucis solummodo bilem ibidem secernendam, itemque vasa sanguifera & nervos. Bilis est liquor Θ no- Φ eus, mediæ naturæ, magis tamen alcalicus, amarissimus, qui secernitur è sanguine venoso, ipsius nempe venæ portæ, quo factò colligitur in cy-

stide, receptaculo bilis pyriformi, tandemque per ductum cholidochum defertur ad intestinum duodenum, ibidemque partim chylo perficiendo, solvendo nimirum partes oleosas, easque cum aquosis conjungendo, partim intestina, ob salia contenta, stimulando, inservit. Vena portæ recipit sanguinem venosum ab omnibus infimi ventris partibus; gaudet verò motu admodum tardo atque lento, prout hoc varia ratione firmari atque probari potest. Arteria hepatica ortum à ramo arteriæ cœlicæ trahit, & nutritioni hujus visceris est destinata. Bilis itaque secretio si vitietur atque depravetur, eo ipso de efficacia atque operatione naturali huic humori quicquam detrahitur: Imminuta enim illâ sequitur inconveniens chyli præparatio, lentor, statusque viscidus, nec non stimuli intestinorum diminutio, hinc alvus adstricta, venter suppressus, flatus, debilitas tonique amissio, verbo status intestinorum turbatus, & Cholera sicca. Aucta verò bilis secretionem & excretionem crescit & accumulatur in intestinis ejusdem quantitas, hinc stimulus fit major, maxime si acrimoniæ ejusdem fiat accessio, unde diarrhoea & Cholera humida ortum ducunt. Nervos obtinet hepar à pari vago atque intercostalibus, nec non à ventriculi ramo superius adducto, pylorum versus tendente; comites illi sequuntur non modo arteriam hepaticam, verum etiam plexum constituunt, circa venam portæ, capsulamque Glissonii, nervosum. Notatu omnino digna videtur hæc ipsa nervorum directio & conditio, eamque ob causam extra controversiam positum est, quod spiritus, ope nervorum fluidis misceantur

tur

tur nostri corporis, ac tonum, sensum, motum & vitalitatem partibus largiantur, imo quoque se- & excretiones promoveant. Firma itaque & stabilis inde reddi poterit ratio, quare sub iracundis animi commotionibus adeo ingens, fereque incredibilis bilis quantitas, imo vero quidquid ejusdem elaboratae, vel in ductibus hepaticis, vel vesicula fellea commoratur, exprimi, atque ad intestinum duodenum transmitti soleat, ita ut etiam hinc inflammationes, corrosiones, choleraque humida excitentur, & producantur. Connexio enim animi pathematum cum mutationibus corporis, praecipue generis nervosi, maxima est, hinc fit sub iracundia, maxime gravi & suppressa, (tali nimirum, ubi mortales irati redditi, virus acerbitalis suae effundere non possunt,) ut spasmus Hepatis, partiumque vicinarum eveniat, ob convulsionem, irregularem commotionem & contractionem nervorum dictorum, majoremque liquidi nervei effusionem; hoc enim pacto vehemens, immoderata ac praeternaturalis bilis se- & excretio, imo profusio atque inundatio, necessario sequitur, prout ex effectu, adductisque circumstantiis clarum atque perspicuum est, imò inferius pluribus firmabitur.

§. VIII.

Pancreas est congeries glandularum minimarum tunica communi, à peritonæo orta, connexarum, infra ventriculum ad latus intestini duodeni situm, arteriam à coeliacis, nervos vero à plexu hepatico nanciscitur, venamque tandem ad venam portae remittit. Secernitur ibidem fluidum, confluens ex ductibus minoribus
ad

ad communem illum ductum, hocque in intestinum duodenum proxime infra pylorum excernitur, liquorque pancreaticus dein dicitur. Convenit quoad principia æque, ac usum cum menstruo ventriculi atque saliva, digestioni itaque inserviet, alimenta nimirum dissolvendo, bilemque temperando & diluendo, recedente vero hoc humore ab indole atque conditione naturali, communissime acescit, acriorque redditur, & hinc solutioni, digestioni legitimæque chyli elaborationi obstat, insuper etiam non secus, ac menstruum ventriculi & bilis, si acrimoniæ eorundem fiat mutatio, vel accessio, majorem noxam infert & occasionem Cholerae præbet opportunam.

§. IX.

In liene, viscere bilis præparatorio, breviter tantummodo atque summatim consideraturi sumus indolem, atque statum ejusdem naturalem & præternaturalem, reliqua ob brevitatem omitturi. Secernitur ibidem imprimis lymphæ à sanguine, ope copiosorum vasorum lymphaticorum, indeque transfertur ad capsulam chyli Pecquetianam; deinde nervi ibidem multo majores, quam in ullo alio viscere, observantur, adeoque satis insignis spirituum animalium copia permiscebitur cum sanguine, versus venam portæ atque hepar refluenta, cum nullus alius hætenus detectus sit ductus hujus visceris excretorius. Hic ipse itaque sanguis venosus, à liene refluus, sero privatur, ob fluidum vero nerveum, copiosè eidem admixtum, turgidior, fervidior, fluxilior, & minus cohærens redditur, hinc præparatur atque adaptatur, ut facillimo dein negotio

negotio

negotio bilis ab eo secerni queat. Statu verò præternaturali præfente, vel parva atque exigua solummodo feri quantitas secernitur, & ad receptaculum chyli transfertur, unde bilis secernenda erit aquosa, atque iners; fluido vero nerveo decenter, atque copiose non admixto, minus spirituosa, magisque cohærens & viscida illa evadet. Bile itaque hac ratione depravata, digestio atque intestinorum stimulus necessario deficiet, adeoque sicca dein Cholera originem inde capiet. Causa vero humidæ quoque Cholerae, maxime periodicæ, ex modo dictis deduci & explicari poterit; cumulatur enim tali ratione bilis, ob viscedinem æque, ac se- & excretionem impeditius succedentem, in ordinario suo folliculo, hepate, liene, atque intestinis, adeoque ita subsistens vel ob motum intestinum auctum fermentescit, & acrior redditur, vel alias ob causas, v. g. iracundiam frequenter concitatam, alimenta ac potulenta acria, spirituosa, facillime fermentescunt, ita alteratur, ut salia principatum teneant; hinc cum supra modum aucta, atque depravata naturæ gravis atque molesta sit, huc illucve propellitur ac diffluit, donec sufficiens stimulus, ad Choleram adsit humidam, quo facto bilis atra, & adusta quasi *αίμα καὶ χύμα* expellitur & ejicitur. Repetitur vero postmodum molesta talis excretio toties facillime, quoties causæ modo adductæ fovescentes occurrunt, ut ita Cholera humida periodica exinde originem trahat. Deinde per se patet, hæc omnia tunc maxime absque ullo negotio evenire posse, si Lienis obstructio, sive circulus fluidorum ibidem retardatus & imminutus, jamjam malum quoddam in-

C

vetera-

veteratum constituit, aut ob temperamentum v. g. cholericum, bilisque abundantiam, major dispositio ad iram & excandescentiam, bilisque præternaturalem commotionem præsto est. Optime itaque de hac ipsa bilis atræ, & quasi adustæ conditione judicarunt Lipsienses, in AMMANNI *Medicina critica* p. 402. in Responso, afferentes, quod bilis atra, & quasi adusta sit omnium humorum maxime rebellis & contumacissimus, imprimis si simul induat aliquam malignitatem (seu indolem corrosivam, vi contextûs) & quod effectus ejusdem non cessent, quam diu materiæ quicquam supersit, cum talis humor sese habeat instar fermenti. Confer. SENNERTVS *Prax. lib. I. Part. 2. Cap. 15.* Egregie etiam illustrat modo dicta hæc exemplum illud notatu dignum, à TYLPIO in *Observat. medic. Lib. II. p. 136. & 137.* adductum, quod in sequentibus consistit: Aurifaber Brabantinus diu divexatus præcordiorum angustiis, pancreatis obstructione & lienis induratione, tandem adeo impetuosam sustinuit bilis excretionem per superiora & inferiora, ut omnes mirarentur ingentem ejus copiam, vires interim erant tanto profusio pares, dejectiones vero sine ulla ferme intermissione continuabant, erantque ita nigræ, ut atro sanguini, ac luto paludis cœno fuerint simillimæ, quibus tamen indefinenter continuantibus, excessit tandem æger, dejectis inde viribus, ante mensem secundum, haud invitus è vita.

§. X.

Progredimur nunc ad differentias Cholerae humidæ & siccæ, quæ paulo exactius utique sunt indagandæ.

dæ. Discrepant vero utræque hæ species tam ab aliis cognatis morbis, quam inter se. Sic humida Cholera differt à vomitu, ob diarrhœam conjunctam; à Lienteria, atque fluxu coeliaco, quoad diversam materiæ excernendæ conditionem, & vomitus in utrisque prioribus absentiam; à Dysenteria, ob vomitum in hac ordinarie non currentem, nec non ob saburræ excernendæ conditionem diversam, siquidem in Dysenteria dejectiones sunt mucido-cruentæ ac sanguinolentæ, motusque febriles semper ac perpetuo conjuncti deprehenduntur, in Cholera vero humida nunquam cum sanguine permixta sunt excrementa, nec etiam febrilia conjuncta sunt symptomata. Proinde etiam Dysenteria solummodo tempore æstivo, Cholera vero semper occurrit, nec unquam certum quoddam tempus invasionis observat. Cholera sicca à tympanitide differt potissimum flatuum per os & anum erumpentium impetuosa atque vehementi propulsione, quæ in tympanitide tanto gradu minus est conspicua, quemadmodum etiam abdomen expansum, digito percussum, sonum Tympani instar in Cholera sicca nequaquam edere solet.

§. XI.

Supersunt nunc differentiæ speciatim in hoc affectu considerandæ, postquam jam in §. I. indicavimus, qua ratione Cholera humida à sicca differat. Humidæ ergo inprimis Cholerae differentia desumitur vel à gradu, vel à causis, vel à subjectis, periodo, more & materia excreta, vel ab effectu. Ratione gradus erit vel mitis & lenis, vel vehemens graviorque, cujus vim du-

C 2

plici

plici ratione experiuntur miseri ægrotantes, vel enim vasa partium internarum sanguifera eroduntur indeque hæmorrhagia succedit, vel ipsa tunica villosa intestinorum ac ventriculi eousque arroditur, & exculceratur, ut ramenta ejusdem expellantur, & protrudantur. De priori, erosione nimirum vasorum sanguiferorum, prostat exemplum in *Observationibus Rhodii p. 86.* de virgine cujusdam Cœnobii, muliercularum consilio ulceri antiquo ac tetro tibiæ dextræ adstringentia, & exsiccantia admovente, inde vero in vomitum cruentum, cum excretionem ano- & catoterica atræ bilis, quæ atramentum scriptorium colore nigro exsuperabat, incidente, ac tandem, cum malum hoc tempore autumnali cum Cardialgia recrudesceret, fati cedente. Quod vero membranæ atque tunicæ partium internarum à summa tali acrimonia possint exedi & exturbari, experientia sæpius comprobatur; non modo enim in Dysenteria, teste *Tulpio in observ. medic. lib. 3. Cap. 17. p. 214. ab Hercule Saxonia* ramentum tunicæ interioris intestinorum, ulnæ longitudinem æquans, exesum, & expulsum visum fuit, itemque juxta ejusdem relationem, *l. c. lib. 4. Cap. 8. p. 309.* membrana laryngis exesa à fartore, acerrima atque continua tussi laborante, expectorata fuit, verum etiam in Cholera humida istud ipsum ab eodem *l. c. Lib. 3. cap. 17.* notatum, atque observatum prostat, his verbis: *Ab acris intestinorum torminibus, fervidaque bile adeo exulcerata sunt intestina, ut intra octidui curriculum integra illa tunica, qua intestinum rectum intus obvelat, propulsa sit, non quidem confestim statimque in pelvium, sed adhærescens ano, nequit inde convenienter separari,*

ri,

ri, ante exactum biduum, quod familiares usque eo perterruit, ut vererentur, ne utique prociderent & reliqua intestina, convocatis vero in auxilium, ob affectus magnitudinem, pluribus Medicis, decreverunt communi consilio, primum auferre abrasam intestini tunicam, deinde lacera intestina aqua mulsa frequenter abluenda, ope chysteris injecti tandem convaluit. Differentias ratione causarum occurrentes, §. XIV. sq. tradituri sumus; à subjectis vero desumendas §. VII. VIII. & IX. jamjam indicavimus. Differt autem insuper Cholera ratione periodi, estque vel continua, aut remittens quidem, ad plenariam tamen intermissionem non perveniens; vel periodica, quæ certis temporibus observatur. De continua exemplum prostat in §. IX. ex TVLPPIO, de aurifabro Brabantino, ubi refertur, morbum per integrum mensem absque intermissione durasse; de periodica vero testimonium præbet RHODIVS, in *Observationibus medicinalibus* p. 88. referens, quendam ob assumptum Antimonium non satis correctum, singulis ferme hebdomadibus per biennium aliquot horis Cholera molestissima vexatum fuisse. Discrepantia ratione moris in eo consistit, quod Cholera modo sit benigna, modo maligna, quam ultimam potissimum indicat virium subitanea prostratio, partium internarum inflammatio, insignes dolores, & cruciatus ineffabiles, excrementa sanguinolenta foetida summamque acrimoniam indicantia, unacum morte tandem promte atque repentine subsequente. Distincta ulterius deprehenditur Cholera ratione excretionum, quæ vel simpliciter flavæ, vel porraceæ, æruginosæ, nigræ, vel sanguinolentæ sunt, insimulque

C 3

indi-

indicant, qualis sit status internus, & quomodo comparata sit materia peccans: hinc simpliciter flavæ, quod frequentiores sunt, communissime minus formidantur, quam reliquæ. Ratione effectûs Cholera est vel critica & salutaris, vel symptomatologica. Prior imprimis evenit, si causa morbi in ventriculo, vel intestinis hærens placide simul excernatur, & removeatur; Sic ZACVTVS *Lusitanus* in *Praxi admiranda*, libr. 2. *observatione* 13. refert de viro quodam atrabilario, vomitu singulis mensibus vexato, qui, dum eundem per adstringentia non compefcuit, ut ita quasi habitualis factus fuerit, & liberè reverti potuerit, inoffensa valetudine sub illo vixit, vitamque ad annum 80. protraxit, id quod, etsi quidem vomitum solummodo respiciat, non tamen absque omni ratione etiam ad Choleram humidam applicari poterit, quæ enim conveniunt uni tertio, causæ nimirum mediatae proximiori, illa conveniunt inter se. Symptomatologica dicitur, si lethalia accedant symptomata, v. g. inflammationes, convulsiones, &c. uti videre est post assumpta venena, ubi Cholera humida longe atrocioribus stipata incedit symptomatibus, quam ista, quæ à causis naturalibus dependet.

§. XII.

Præmissis itaque præmittendis, causæ utriusque hujus affectus investigandæ erunt. *Causa ergo immediata* est motus peristalticus ventriculi inversus, intestinorum vero auctus atque depravatus. Quod ratione ventriculi inversus ille sit, exinde patet, quoniam in statu naturali actio musculorum, quorum ope contenta ordinariè propelluntur, superius inchoat tenditque

que

que deorsum, hoc loco verò motus fibrillarum circa pylorum in dextra incipit ventriculi parte, & hinc procedens coarctatio contenta versus sinistram ventriculi orificium pellit. In intestinis quidem ordinaria motus peristaltici conditio, ratione directionis, in hoc affectu animadvertitur, dum contenta versus anum propelluntur, est tamen hic ipse motus semper auctior, imo depravatus, imprimis in Cholera humida, ubi copiosiores excretiones id abunde demonstrant. Quod vero alteram Cholerae speciem, nempe siccam, attinet, de ea nunc probandum est, quod motus peristalticus ratione ventriculi etiam ibidem sit inversus, ratione intestinorum vero paulo auctior, atque depravatus, imprimis cum intensio fibrarum sensibilibum manifesto fiat nimia, ob flatus incarceratos, stomachum, atque intestina violenter distendentes. Prius ergo ex hactenus demonstratis jam sufficienter patet; posterius vero exinde demonstrari potest, quoniam tunicae intestinorum extensioni resistunt, aperte reagunt, sese contrahunt, & spastice constringunt, adeoque flatus subsistentes in arctius spatium coarctant, sicque efficiunt, ut maxima cum vehementia & sonitu exprimantur quasi & emittantur, unde facile auctior & depravatus peristalticus motus cognosci potest. Alii quidem pro causa proxima, sive immediata, convulsionem ventriculi atque intestinorum agnoscunt, sed parum hoc ipso à nostra sententia recedunt; convulsio enim, sive spasmus, consistit in motu depravato musculorum, motus vero musculorum omnis absolvitur eorundem contractione, adeoque etiam peristalticus, unde convulsio

vulsio

vulsio & motus peristalticus inversus, & depravatus, unum idemque denotabunt.

§. XIII.

Ut irritatio, rosio atque tensio fiant, necessario objectum irritans, rodens, atque tendens constanter adesse debet, cum nulla fibra se ipsam irritare, adrodere atque distendere queat: Objecta itaque hæc constituunt Cholerae humidæ & siccae causam mediatam proximiorum, & sunt ratione Cholerae humidæ vel salia acria, humoribus, aut aliis partibus immerfa, vel fibræ musculares cum fibrillis nervosis connexæ spasmodice contractæ, vel aliæ quædam paulo post explanandæ materiæ, fibras ventriculi & intestinorum, præcipue circa finem duodeni, principiumque jejuni, pungentes, rodentes, ac ad contractionem & motum præternaturalem disponentes. Ratione Cholerae siccae vero flatus copiosiores, acresque exhalationes, ventriculum atque intestina nimis replentes, & distendentes, constituunt causam mediatam proximiorum.

§. XIV.

Salia acria, fluidis immerfa, vel alia ratione ad nervosas sensibiliores partes delata, adhærendo penetrant spiculis suis, interstitiis & poris se se insinuant, pungendo, mordendo, irritando & stimulando easdem æque, ac connexas musculosas, ad constrictionem disponunt, hincque glandularum intestinalium compressionem & distensionem, majoremque istius liquidi, itemque fluidi nervei, ac reliquorum fluidorum conciliant affluxum, sicque morbum hunc accelerant.

Salia

Salia vero sunt vel acida, vel biliosa, sive alcalica, vel acido-biliosa.

§. XV.

Quod à sale acido Cholera, maxime humida, originem ducere possit, non modo per se jam manifestum est, si excretorum habeatur ratio, teste enim BLANCARDO in *Academia Cartesiana* p. 146. eadem Spiritui Vitrioli, quoad odorem & saporem, usque adeo sæpenumero similia sunt, ut aqua aquæ non sit similior, verum etiam ex ipsa præternaturali constitutione, observationibus, sectionibus, aliisque idem illud colligi poterit. Secernitur enim acidum, si nimis copiose in massa sanguinea occurrit, in glandulis Ventriculi, consequenter cum menstruo ventriculi, nec non liquore pancreatico: His itaque eodem inquinatis, necessario eveniunt, secundum essentielles salis acidi proprietates, coagula, arrosiones, obstructions & inflammationes. Sic BLANCARDVS mentionem fecit in *Collectaneis medicophysicis* cujusdam, de acidi abundantia, appetitu deficiente & continuo vomitu conquerente, in quo, post fata dissecto, pylorus, dimidiaque intestini duodeni pars gypsea atque calcarea quadam materia, crassitie digiti majoris, obducta deprehendebatur, ita ut vix stylo transitus concederetur. Patet vero exinde manifestè, quod coagulum hocce ab acido sit productum, nec non, si idem illud versus intestina, maxime circa principium jejuni, ulterius processisset, quod diarrhoea continuo vomitui certissime se adjunxisset, hincque Cholera humida inducta fuisset. Similiter quoque post factam incisionem cum scolopomachærio, testi-

D

bus

bus *Act. Eruditor. Lipsiens. Ann. 1714. Nov. p. 525.* in scirrho ventriculi 3 $\frac{1}{2}$. pollic. crasso, tunica interior ab acido caustico erosa, gangrænosa, summamque insuper mephitim spirans, reperta fuit. Deinde obstructionem eamque excipientem inflammationem jure meritoque in pathologicis ab acido derivamus: Per se enim jam constat, obstructionem consistere in motu fluidorum retardato, vel plane suppresso, hic vero dependet à conditione, atque cohæsione fluidorum mutata, dum nimirum magis cohærentia sunt, seu viscida: Viscidum pro causa agnoscit defectum resolutionis, & principium coagulans sive acidum, unde patet, obstructionem communissime proficisci ab acido; subsistentibus vero fluidis, motus eorundem intestinus augetur, scilicet ob fermentationem à vinculis liberantur, promptius agunt, fluidaque resolvunt & exagitant, unde hæc majus affectant spatium, aërque contentus ob auctum calorem ulterius expanditur, uno verbo, oritur inflammatio, quam excipit suppuratio, ulcus, apostema, & consequenter Cholera humida. Notabile ejusmodi documentum reliquit SYLVIVS in *Praxi medica Lib. XV. Cap. 12. § 24. Operum p. 190. § 193.* de vidua, ob modo allata in pancreatis obstructionem, inflammationem, suppurationem, purisque vomitum ac dejectionem incidente, cui tandem iterato emeticum exhibuit, & ita rejecta purulenta materia sanitatem restituit. Optime itaque judicavit TVLPIVS in *Observ. medic. Lib. 4. pag. 347.* occasione casus admodum notabilis de Pancreate suppurato, asserens: In pancreate locum invenire diutinos ac inextricabiles morbos, tabes, scirrhos,

rhos,

rhos, abscessus, steatomata, vomitus, inquietudines, aliosque perniciosissimos affectus, qui ex hoc fonte, quasi ex Pandoræ pyxide, non infrequenter ad perniciem generis humani erumpunt, id quod etiam FERNELIVS in *universa Medicina Lib. VI cap. 7.* confirmat, inquiens: *Ego hoc affirmo & profiteor, Cholerae latentium denique morborum causas me in his plerumque sedibus, Pancreate nimirum animadvertisse, quorum depulsione deploratis salus reddetur.* Objici tandem posset, quod tamen miseri, Cholera humida detenti, semper fere bilis saporem perciperent, adeoque, si bilis biliosum efficeret saporem, tunc non acida, sed biliosa saburra rejiceretur; prostant autem casus & exempla, ubi nulla plane bilis cum excrementis in Cholera rejectis commixta fuit, prout hoc testantur BLANCARDVS l. c. & PECHLINVS in *Observat. physiolog. medicis Num. 56.* ubi refert, se Choleram humidam omnis bilis observasse expertem ac potius serosam, post moram exiguam viscosam & gelatinosam redditam, sine ulla bilis nota, unde dein adstruere conatur, bilem non semper in Cholera esse accusandam, sed causam ejusdem sæpenumero aliunde petendam ac derivandam esse. Interim tamen fieri poterit, ut bilis quicquam insimul aliquando excernatur, ob consensum nimirum nervorum, viscerumque dispositionem, dum nimirum partes internæ inter se conspirant, & unius irritatæ atque contractæ fibræ etiam alterius partis fibras excitant, ut ad singulos sese contrahant stimulos; hinc fit, ut ob spasmus hepatis consensualem bilis cum excernendis acidis & acribus commisceatur, eadem tingat, saporemque ipsorum immu-

D 2

tet,

tet, inprimis cum ab exigua ejusdem quantitate admodum notabilis conversio & transmutatio fieri possit.

§. XVI.

Porro etiam acrimonia biliosa, sive alcalica, consideranda venit, quatenus nimirum Choleram humidam producit. Bilis est liquor salino-sulphureus, oleoso-resinosus, mediæ quidem naturæ, magis tamen ad statum alcalicum inclinans, secreta ex sanguine venoso, à liene refluo, particulis serosis destituta, salinis vero, itemque oleosis, sulphureis ac spirituosis largius imprægnato. Resinosa ejus qualitas manifestatur, si leni calore illa evaporatur & dein cum Spiritu Vini solvitur; salium vero præsentia non modo ex sapore amarissimo elucescit, verum etiam mediante analysi chymica demonstrari poterit; destillata enim suppeditat phlegma, oleum, spiritum salinum volatilem & sal fixum, insuperque Syrupum Violarum viridescentem reddit. Respicienda itaque erit, ob partes constituentes pariter, ac usum, tanquam sapo, ex lixivio salis communis, cineribus, & calce viva paratus, sebumque ob salis alcalici principatum solvens, & in corpus saponaceum mutans, id quod insuper quoque liquet ex chylicationis negotio, solutione nimirum alimentorum, inprimis pinguium, itemque ex subsequente tunicæ intestinalium villosæ irritatione, motus peristaltici augmento, glandularumque intestinalium ad majorem lymphæ effusionem provocatione, nec non dum extra corpus quoque similiter ac sapo maculas oleosas abstergit & extinguit, quæ omnia manifestum indicium præbent, quod iisdem gaudeat partibus constitutivis, quales in
sapone

sapone deprehenduntur. Si itaque modo dicta partium constituentium proportio à statu naturali defleat, vel falis acidi quantitas ultra modum imminuitur, tunc bilis redditur magis alcalica, acrior & volatilior, partes oleosas præter modum solvens, stimulumque ad humidam Choleram præbens, inprimis si quantitate majori simul peccat, vel fal acidum prædominatur, siquidem tunc fal alcalicum invertitur & obtunditur, partes oleosæ & sulphureæ coagulantur, bilisque hinc viscida redditur, prout hoc in §. sequenti monstrabitur. Ponamus itaque, bilem magis alcalicam atque acriorem suam nunc ludere tragoediam, tunc utique fal alcali fixum æque ac volatile (quod posterius in statu naturali jamdum copiose adest,) ab acido non satis temperatur, sed libere agit; si vero bilis præter modum alcalica ad intestinum duodenum defertur, tunc fibræ musculares irritantur, insimulque sensiles nerveæ motrices iisdem insertæ (naturalem aliàs contractionem præstantes,) spasmodice sese contrahunt, glandulas intestinorum comprimunt, liquidaque ex istis, ut & reliqua in intestinis contenta propellunt, & ita Choleram humidam inducunt. Deinde etiam unacum chylo eadem acris biliosa saburra transfertur ad M. S. & cum illa permiscetur, quæ postea exinde accenditur, rarefit, calidiorque redditur.

§. XVII.

Febres intermittentes citatas passiones cholericas quoque sæpius comites habent, si nimirum primæ viæ acri biliosa scatent saburra, vel febres ipsæ adstringentibus supprimuntur, vel nimis frequenter repetitis vomitionibus

D 3

tionibus

tionibus iisdem mederi volunt incauti Practici, tunc enim siccae praecipue Cholerae occasio praebetur admodum opportuna, quod & de iis valet, qui circa tempora aequinoctialia vomitoria frequentius adsument. Porro etiam Cholera, praecipue humida, perquam facile oritur post cito cohibitas Diarrhoeas & Dysenterias, nec non post praemature consolidata ulcera externa, quoniam materia corrupta, acris ac retropulsa partes internas stimulat, arrodit & inflammat. Eandem quoque tragœdiam ludunt partium internarum tumores, scirrhi, steatomata & calculi tam renales, quam alii, ob partium vicinarum ad spasmodicas contractiones facilem dispositionem, prout hoc etiam ex RHODII *Observ. medicin. p. 86.* liquet. Hæmorrhoidum & mensium suppressio Choleram pariter quoque post se trahunt: Dependent enim hæmorrhoides plerumque ab obstructione hepatis, adeoque circulus impeditus ibidem succedit, venæ hæmorrhoidales à sanguine contento admodum distenduntur, imo tandem dirumpuntur, contentusque sanguis effunditur, quo facto nimia quidem illarum extensio cessat, ob vasorum factam depletionem, obstructio vero hepatis propterea non tollitur. Agnoscunt itaque hæmorrhoides altius defixam in obstructione hepatis latitantem causam, hepate vero obstructo, sive circulo sanguinis ibidem ob statum viscidum retardato, ejusdem quoque in liene circulus, per §. V. VI. & VII. similiter erit praepeditus, adeoque eodem modo Cholerae ansam suppeditabit. Speciatim praeterea constrictiones intestini recti, ab hæmorrhoidibus cœcis inductæ, itemque tubercula, abscessus, aliaque

aliaque ejusdem generis ibidem occurrentia mala, ficcæ Cholerae, ob exitum flatibus denegatum, viam parant. Mensium obstructio similiter pro causa agnoscit sanguinem nimis viscidum, adeoque viscerum sanguinem depurantium, hepatis nimirum & lienis obstructionem; nimirum enim cohærens sanguis ob admixta specificè graviora viscida, osculis minimarum neuro-lymphaticarum arteriarum uteri ejusdemque vaginæ nec adhærere, nec per illa libere progredi valet, retinetur itaque abundans, sibi que ipsi stimulum addens sanguis, ac præter paulo ante indicata corpus nimia simul onerat quantitate, vasa enim hinc majus affectant spatium, massa que sanguinea in decenti non servatur æquilibrium, vasa brevia infarciuntur, systole atque diastole arteriarum, ob nimiam molem atque parietum extensionem, redditur imminuta, acresque cujusvis generis partes hinc inde nec rite secernuntur, nec secedunt atque minuuntur, quo factò labefactatur similiter digestio, primæque viæ viscidis acribus acidoque-biliosis mirum quantum replentur succis, perpetuusque fere ad stricturas spasticas & flatulentiam excitatur nisus. Sigillatim Cholera sicca plerumque consequens est morborum antecedentium atque præcurrentium diuturniorum, minus rite tractatorum, hincque symptomata esse solet, conciliatur nimirum hinc inde ventriculo atque intestinis insignis imbecillitas, maxime si corpus post morbi curationem aëri improvide exponatur, refrigeretur, cibique nimis avide ingerantur, vel incongrui admittantur. Inprimis vero ficcæ pariter ac humidæ Cholerae facile subjiciuntur hypochon-

pochondriaci, prout ex §. VII. & IX. non solum patet, verum etiam ex obstructione hepatis atque lienis, nec non ex colluvie atque acido-biliofa saburra, quibus sub hoc malo primæ viæ ordinarie scatent, colligi poterit. In Arthritide pariter quoque si materiæ acris viscidæ decubitus ad extrema impeditur, illaque ad intestinorum canalem deponitur, teste experientia facillime Cholera, inprimis vero sicca, excitatur. Vermes si in canali alimentario firmiter nidulantur, fibras plerumque rodunt, ad contractionem stimulant, chylum conspurcando, sanguini hinc inde acrimoniam insignem irritantem conciliant, quemadmodum v. g. de sanguifugis cum potu incaute deglutitis, variæ prostant observationes, quod vehementis atque diuturnioris humidæ Cholerae causas constituerint. Gravior orificiorum ventriculi & sphincteris ani constrictio similiter huc pertinet, in culpa enim est, quod flatus nequaquam emitti, nec etiam tensio ventriculi & intestinorum remittere queat, cujus nexum atque rationem §. seq. ubi de signis agemus, insimul monstrabimus. Corpora acuta, ut vitri frustula, spinæ piscium, &c. ex improvise deglutita, Choleram humidam quoque producant; si enim tunicis implicentur nerveis, tunc sensiles fibras ad motum impellunt constrictorium, & ad convulsiones usque pungunt. Venena tandem exhibita & ad ventriculum ac intestina delata, itidem Choleram humidam inducunt, tunicas enim corrodunt vellicant & inflammant, nervosque convellunt, adeoque copiosum humorum affluxum ad intestina invitant, id quod etiam de vomitoriis & purgantibus drastis, quæ causticæ

sticæ

sticæ sunt indolis, v. g. Vitro Antimonii, Gummi guttæ, baccis Laureolæ, Mercurio vitæ, &c. similiter metuendum est.

§. XVIII.

Signa utriusque Cholerae §. III. jam quidem allata sunt, ratio vero atque connexio illorum brevissimis adhuc demonstranda erit. Instantem humidam Choleram significant appetitus deperditus, nausea, ructus, borborygmi, conatus vomendi, Cardialgia, capitis & ventriculi dolor, præcordiorum angustia, inquietudo, displicentia animi, respiratio impeditius succedens, pulsus inæqualis, quandoque celer atque frequens, horripilatio, inflatio abdominis, tormina intestinorum, sudorque circa caput, cervicem & thoracem anxius. Omnia hæc generatim incipientem insignem fermentationem & irritationem ventriculi ac intestinorum spasmodicam indicant, uti ex superius allatis abunde patet; speciatim vero Cardialgia effectus est spasmi ac doloris orificii ventriculi sinistri, tendentis, morficantis, atque diaphragma in consensum trahentis, sæpe vero numero ista, teste SYDENHAMIO in *Operibus medicis* p. 648. in Cholera humida adeo vehemens observata fuit, ut ægroti circa scrobiculum cordis tunc temporis ne digiti quidem contactum admittere potuerint. Occurrens angustia præcordialis a spiritibus nimis exagitatis simulque debilitatis, itemque sanguinis circulo in universo corpore, præcipue vero in pectore, impedito, nervorumque spasmu consensuali, provenit. Porro ob transitum sanguinis per pulmones tardio rem motumque diaphragmatis impeditum succedit

cedit respiratio difficilior, admodum anxía, cum animi sollicitudine & displicentia. Pulsus inæqualis, celer & frequens, easdem agnoscit causas, circulus enim sanguinis impeditior, ejusdemque ac reliquorum humorum citatior, spirituum debilitas & defectus, nervorumque, arteriam magnam, venam cavam aliaque sanguifera vasa involventium, strictura & spasmus mutationes tales facile inferre possunt. Horripilatio tandem proficiscitur vel a spasmō in extremis conspicuo, vel humorum circulo præpedito atque in extremis imminuto, majorique fluidorum cohæsione, & hinc eveniente difficiliori progressu per vasa capillaria; sudor vero anxius & frigidus, in capite atque thorace prorumpens, provenit a spasmodica partium extremarum contractione, ignearum particularum defectu, pororumque ibidem occurrentium singulari dispositione præ aliis humani corporis, reliquis nimirum amplioribus magisque patulis existentibus, eam enim ob rationem fit, ut plerumque in istis primum ille erumpat locis, in aliis vero deficiat. Tandem cum augmento dolorum *ἄτα καὶ κάτα* ab initio aquosæ, tenuis, postmodum acris, flavæ, viscidæ, viridis, imo nigricantis sanguineque tinctæ saburræ sæpius repetita contingit ejectio, cum insigni virium imminutione ad lipothymiam usque, ob impetuosam enim fluidorum, etiam laudabilium, evacuationem, humorum vitalium ingens inducitur defectus, sanguinisque hinc inde quantitas minime ob vasa depleta amplius tanta est, quanta ista requirunt, vergitque præterea ad grumescentiam, insuper etiam copiam spirituum non modo fit imminutio, sed ob acerbissimos

biffimos dolores insignis exagitatio, majorque affluxus versus canalem alimentarium, minor vero versus reliqua organa, ita ut hinc inde illa fatiscant, deficient, atque lipothymiam patiantur miseri, quæ adhuc frequentius recurrere solet, si forsitan maligni quid simul conjunctum fuerit, id quod ex præcipiti virium lapsu, summaque illarum prostratione, facile colligi poterit. His porro succedere solent, sitis inexplebilis clamorosaque, phlogoses, extremorum stupor & frigiditas, vomitus, alvique dejectiones non modo sanguinolentæ atque æruginosæ, verum etiam quandoque cadaverosæ & foetidæ, singultus, spasmus surarum, pulsus parvus, intermittens, frequens, respiratio magis anxiosa, delirium, convulsiones, vocis defectus, unacum caligine oculorum. Sitis insigniter urgens, phlogosesque excedentes, a partium blandarum ferosarum temperantium nimia absumptione & eliminatione proficiuntur, qua de causa reliqui quoque humores acriores simul redduntur, partes nervosæ mirum quantum stimulantur & irritantur, Ææque resolvuntur & subtilisunt. Extremorum stupor & frigiditas a sanguinis ac spirituum inopia, circuloque imminuto & calore vitali decrescente provenit. Vomitus, alvique dejectiones sanguinolentæ, originem ducunt a corrosionem & inflammationem partium afflictarum, vasorumque, præcipue sanguiferorum; æruginosæ, à vehementi atque impetuosa hepatis, vesiculæ felleæ, ductuumque biliariorum compressionem & contractionem, nec non spasmodicam partium confinium commotionem & consensum cum iisdem intercedente, derivandæ

E 2

erunt;

erunt; cadaverosæ vero foetidæ metuendam afflictarum partium gangrænam & sphacelum produnt. Singultus causam constituit motus afflictarum partium constrictorius præternaturalis. Spasmus surarum ex nervorum consensu & distributione per partes musculosas derivandus est: Nervi enim paris vagi, uniti cum plexu hepatico & intercostalibus, junguntur cum nervis ossis sacri, sicque nervos perficiunt crurales, quorum insignis ramus musculos adit gastrocnemios, unde cum diffusis hisce partibus, hujus connexionis ope, insigne fovetur commercium, nervisque ventriculi, intestinorum atque hepatis convulsis, harum partium quoque distentiones, dolores & spasmodicæ contractiones producuntur. Pulsus parvus, frequens, intermittens, respiratio interdum angustior, vel plane fere suppressa, easdem modo adductas agnoscit causas. Delirium & convulsiones accedentes indicant vel partium afflictarum inflammationem timendamque gangrænam, vel spirituum influxum maximopere irregularem, universumque nervosum genus insigniter affectum & irritatum. Vocis defectus, unacum oculorum caligine, dependent a liquidorum nimia profusione, inde enim salivæ secretio imminuitur, interna oris exarescunt, vocis fit defectus, facies subsidet, oculorum evenit caligo, urina supprimitur, aliaque plura talia incommoda exfurgunt.

§. XIX.

Signa, quæ causis Cholerae humidæ specialioribus atque singularibus, modo enumeratis, propria sunt, ex hætenus dictorum comparatione cum iis, quæ in §. XV.

XV.

XV. adducta sunt, facile patefcent. Si enim v. g. Cholera humida à bile magis alcalica proficiscatur, fitis, præcordiorum anxietas, cardialgia, &c. vehementiores esse solent, insuperque ardor præcordiorum, calor præternaturalis, afflictarum partium inflammatio, febrisque ipsa cholericæ plerumque accedit; si vero ab acido, vel acido bilioso hic morbus originem trahat, tunc omnia hæc in mitiori gradu eveniunt. Differentiæ ab excretis, pro causarum diversitate distinctis, desumendæ, in antecedentibus fusius jam adductæ sunt, unde easdem jam mittimus. Speciatim vero, si Cholera humida ab acido bilioso provenit, vel periodica est, malumque hypochondriacum conjunctum habet, tunc, teste experientia, jejuno imprimis accedere solet stomacho, præter rationem augetur, & ex improvise, absque manifesta causa externa, ventriculo atque intestinis evidenter non ægrotantibus, recurrit, quæ vero evomuntur, & per alvum ejiciuntur, effervescent, male olent, fuscum referunt colorem instar rob Juniperi, vel Sambuci, consistentiâ referunt picem, acrimonia sua fauces arrodunt, excoriant, raucedinem inducunt, dentesque stupefaciunt. Admodum rebelle & pertinax insuper est malum, nec stomachicis, nec roborantibus aliisque pluribus cedens. Cumulati enim & coacervati, ob hepatis, lienis, pancreatis, &c. obstructionem, humores biliosi, viscidi, acres, subsistentes, fermentescunt, acriores redduntur, totiesque mirum quantum odiosam repetunt excretionem, quoties causæ allatæ foventes occurrunt, imprimis cum, teste AMMANNO §. IX. adducto, bilis acris, viscida, instar fermenti sese habeat,

beat, effectusque illius non cessent, quam diu pernicio-
sæ ejusdem materiæ aliquid adhuc superest. Matuti-
no vero tempore miseros invadit, cum tum demum,
ob absolutam finitamque digestionem, humores sint
acriores, saliaque teneant principatum.

§. XX.

Succedunt nunc signa Cholerae siccae, quæ consi-
stit in impetuosa flatuum urgentium per os & alvum
eruptione, conjuncta cum insigni abdominis infimique
ventris inflatione, tactui parum cedente, doloribus ten-
sivis, spasmis, convulsivis artuum agitationibus, orifi-
ciorum ventriculi atque sphincteris ani valida constri-
ctione, ingenti præcordiorum anxietate, cordis palpi-
tatione, spirandi angustia, lipothymia, salivæ se- & ex-
cretionem cumulatam & auctam, vertigine, imo quandoque
etiam pathematibus melancholicis. Inflatio atque ex-
pansio abdominis nimia dependet ab atonia ventriculi
& intestinorum, motu enim harum partium peristalti-
co imminuto, flatus non propelluntur, sed cumulan-
tur, majus affectant spatium, partes distendunt, insi-
gnemque efficiunt dolorem. Negari quidem non po-
test, quod, si emittantur, aliquid quidem levaminis af-
feratur, symptomataque imminuantur, si enim plenarie
maneant incarcerati, tunc gravius affliguntur miseri;
dum vero ex una parte illorum propulsio prompte non
succedit, molestiamque ægrotis creat, ex altera vero,
ob reliquorum inclusorum vaporum elaterem auctam-
que rarefactionem, ab interno calore proveniente, nec
non partium afflictarum tonum amissum, nimia sta-
tim recurrit harum præternaturalis distensio, inde
apparet

apparet, cur admodum exiguum minusque constans levamen ab illorum eruptione sentiant ægroti. Orificiorum ventriculi atque sphincteris ani validæ constrictionis ratio hæc est, quod, ob nimiam membranarum ventriculi & intestinorum distensionem, motus illarum naturalis contractorius, excrementa flatusque expellens, quidem deficiat, ob violentam vero & impetuosam fibrarum nervearum sensibilibum tensionem, insignemque dolorem, simul liquidi nervei versus afflictas partes major fiat affluxus, hinc resistunt extensioni, validius reagunt, spasmodice sese constringunt, flatusque pressos quasi emittunt: Contractio vero spasmodica, extensione dictarum membranarum ventriculi & intestinorum imbecillior deprehenditur, dum maxima ex parte flatus subsistentes remanent, nostrumque affectum sic accelerant. Major autem illa nervearum fibrarum ad motum constrictorium irritatio, circa ventriculi orificia & ani sphincterem, ob insigniorem fibrarum muscularium numerum, & majus naturale robur, impetui flatuum sufficienter resistens, evenire solet, unde fit, ut, ob spasmorum augmentum, per consensum hæc partes simul spasmodice afficiantur, arctissime constringantur, vaporesque exitum quærentes includant. Convulsivæ artuum agitationes, in corporibus sensibilibioribus præcipue occurrunt, & a consensu nervorum, §. XVIII. jam adducto, proveniunt. Præcordiorum anxietas, cordis palpitatio, spirandi angustia, lipothymia atque vertigo, imprimis musculofas & nervofas diaphragmatis partes, ab inflatis afflictis partibus vehementer distentas, pro causa agnoscit, dum
ejus-

eiusdem motus & liber descensus retardatur, pulmones comprimuntur & inspiratio impeditur. Vertigo, salivæ copiosa versus glandulas oris atque faucium directio, pathemataque melancholica, succrescunt a circulo sanguinis in abdomine præpedito, ejusdemque hinc copia in trunco aortæ ascendente majorem in modum adaucta.

§. XXI.

Cholera humida acutus, imo vero sæpenumero acutissimus est affectus, sibi que relictus diu persistere non potest, sed plerumque tertio vel quarto, rarius septimo die, salutariter, aut lethaliter decurrit. Leniter quidem ac lente sæpenumero subjecta invadit, eaque interdum absque manifesta causa externa, (id quod pessimum,) vel ex leviori & exigua solummodo, corripit, præter spem vero & opinionem ingravescit, summaque vi miseros adoritur, subita nimirum virium prostratione, animi defectione, convulsionibus, partium afflictarum inflammatione, aliisque similibus, necessitatem ultimam denunciantibus. Eo magis vero atque celerius Cholera humida perniciose esse solet, quo effratior atque vehementior existit, & prædictis exitiosis comitata incedit symptomatibus, nec non, quo difficilior & perniciosior ejusdem est causa, v. g. bilis plus justo alcalica atque volatilior, aut quo magis ab alio mortifero dependet morbo. Prægressa valetudinis imbecillitas, corpus male affectum & tenerius, vires jamjam fractæ, afflictarum partium inflammatio febrisque biliosa superveniens, exiguam ordinarie spem recuperandæ sanitatis præbent. A morbis chronicis,
v. g.

v. g. malo hypochondriaco, si foveatur, itemque si malum hæreditarium sit, periodica, & interdum critica adeoque salutaris esse solet, per intervalla redit, a sustentantiumque morborum secessu solamen accipit; si vero morbi hi non curantur, illaque impetuosior evadit, aut frequentius recurrit, vel indolem corrosivam induit, plus omnino periculi minatur, facileque in hæticam degenerat, quale quid etiam metuendum est, si ulcera & abscessus partium internarum in culpa sunt. Porro quoque exigua salutis spes affulget, si Cholera humida vel supprimatur, vel rite non tractetur, quoniam tunc vel inflammatio, febris biliosa, gangræna & sphacelus, vel Icterus, hætica, aliaque chronica mala succedunt. Si ea quæ rejiciuntur nigrum referunt colorem, & adusta quasi sunt, in periodica quidem spes aliqua, mediocris tamen adhuc superest, in febrium acutarum vero decursu & statu funestus plerumque metuendus est eventus. A venenis haustis si ortum traxerit Cholera humida, nisi eadem mature obtundantur & eliminentur, semper & ubique lethalis est. Ad salutem tendit, emendatione & ablatione causæ morbificæ obtenta, ad mortem vero vergit resolutione, inflammatione, gangræna, animi defectione, convulsione, pulsu intermittente, extremorum frigore, torpore atque rigiditate supervenientibus. Cholera sicca non facile funesta est, si tempestive Medici auxilium imploratur, nisi vel ob nimiam vehementiam, vel viscerum læsionem, morbosque foventes aut succedentes, incongrue tractatos, mors acceleretur.

§. XXII.

Reliquum nunc est, ut ad *Curationem* affectuum progrediamur; quoniam vero diversæ illorum sunt causæ, iisdemque removendis omnis medendi superstructa est ratio, hinc probe eadem discernendæ atque distinguendæ, insimulque fundamenti loco sequentes præsupponendæ sunt indicationes: I. Objectum vitiosum stimulans & irritans corrigendum, demulcendum, & removendum est, symptomataque urgentia mitiganda sunt. II. Motus spirituum irregularis & perturbatus post nocivam evacuatam materiam temperantibus sopiendus & placandus est. III. Tonus afflictarum partium restaurandus, ipsisque conveniens robur est conciliandum.

§. XXIII.

Prima itaque indicatio objecti vitiosi irritantis correctionem & remotionem concernit, cui scopo, ratione Cholerae humidæ, in principio statim congrua deprehenduntur decocta diluentia, gelatinosa, mucilaginosæ & temperantia, decoctum nempe Hordei vel simplex, vel cum C. C. & Scorzonera, item Hordei excorticati, alicæ avenacæ, Sydenhamii juscellum tenue gallinarum, vel pullorum gallinaceorum, carnem vix resipiens, crebrius & in copia haurienda, imo etiam in forma clysterum injicienda, quibus itidem substitui possunt decoctum Hb. Theæ & fabarum Coffee, imo aquæ communis calidæ simplicis, cum Nitro vel Cuminifemine, aliisque paratum, recensente enim BORELLO in *Observ. p. 132.* solo aquæ communis potu & admotione Santalini regioni stomachi, Cholera humida feliciter

citer

citer curata fuit. Salium enim vis, inprimis dum hæc in largiori haurienda sunt quantitate, infringitur & obtunditur, materia excernenda & acrimonia fermentifica maxime activa diluitur, aptaque redditur excretioni, tonus ventriculi & intestinorum à spasms debilitatus erigitur, perturbatusque moderatur, viæ lubricantur, siccitasque & spasmus gulæ, obicem sæpenu-mero acribus impuritatibus, exitum quærentibus, ponens, corrigitur. Optime itaque HIPPOCRATES *Lib. 2. Epidem. §. VI.* judicavit, asserens: *Si quis vomenti copiosam aquam potui exhibeat, una cum vomitu eluentur ea, quæ vomitus causa sunt.* Evacuatio autem talis saburræ vitiosorum humorum, si segnius & impeditius succedat, vel plane interrumpatur, mitissimis remediis promovenda est, maximi enim momenti res est, ut canalis alimentarius ab hisce repurgetur fordibus, aliàs enim non exigua damna ex præmatura ejus oppressione, febris nimirum biliosa, causus & intestinorum necrosis, inde eveniunt; melius itaque miseris prospicitur, si excretionibus istis in principio indulgetur, quam si temere supprimuntur. Notabile ejusmodi exemplum refert BORELLVS in *Observat. p. 131.* de viro, ira ob litem a vicinis motam percito, humidaque Cholera tentato, cui vero data fuere remedia contra Apoplexiam, unde nocivæ, acris, imo causticæ saburræ rite non successit eliminatio, sed suppressa remansit, sicque eadem nocte ille obiit. Citissime itaque acris saburræ eliminatio, si sponte succedere recuset, periculumque valde urgeat, per convenientia eaque lenissima provocanda est evacuantia. Ob languorem vero ventriculi vi-

riumque defectum, humorum biliosorum excretio, si nec valida, nec frequens satis fiat, sed segnius procedat, analepticis quandoque eadem feliciter excitatur, qualem casum RIEDLINVS in *Lin. med. ann. 4. mens. Febr. obs. 13. p. 125.* profert, ubi ab assumpta potione cordiali excretio talis promota, prægressæque molestiæ sublatae fuerunt. Sic aliquando eadem utiliter succedit post adhibitum pulverem ex Nitro, Conch. & Cryst. Tartari, si nimirum ob spasmus sinistri orificii ventriculi conclusa teneatur materia nociva, hacque ratione iniquo ventriculi hospiti, in exitu jamjam constituto, via reddatur idonea. Frustra vero iisdem adhibitis, radice Ipecacoanhæ recenter pulverisata, vel Rhabarb. simplici vel tosto, Conchisque succo Citri saturatis, interpositis, erit succurrendum, lenissimis enim hisce primæ viæ a fordibus excrementitiis felicissime liberantur, ut valentioribus non opus sit, dum materia ad excretionem ordinarie est disposita, fortiora vero ob spasmos, & insignem acrimoniam inimica ac pernicioosa sunt. Si autem contingat, ut liquida & pulverulenta statim rejiciantur, tunc sub pillularum, vel bolorum forma, hæc remedia exhibenda sunt, id enim talia præcipue habent commodi, quod facile nec revomantur, nec per alvum exterminentur. Speciatim vero, si Cholera humida a bile plus justo alcalica atque Aiori ortum trahat, præter jamjam indicata conveniunt nitrosa & acida, hoc enim pacto insigne non modo præstatur levamen, verum etiam sal alcalicum, principatum tenens, corrigitur, & in sal mediæ naturæ mutatur. Tanto magis vero utilia hæc deprehenduntur, si cum absor-

abfor-

absorbentibus, & in specie Cryſtallo montana (ex teſtimonio ETTMÜLLERI in *Diff. de Præcipitantium uſu & abuſu*) maritantur, vel cum Emulſionibus ex ſem. 4. frigid. major. Pap. alb. paratis, additis aquis diapnoicis & antispasmodicis, exhibentur, potulentis enim diluta æque probantur, ac in pulveribus & bolis exhibitæ, plenarieque huic ſatisfaciunt indicationi. Ejusdem quoque ſunt commatis ſucc. Citr. ſyrupus Acetoſæ, Berberum, &c. Sudorifera autem generatim, nec non calida omnia, ſi malum a prædicta cauſa foveatur, teſte BORELLO in *Obſ. p. 131.* ipſaque experientia, nocent, nec etiam tunc temporis purgantia locum habent, niſi correctæ & immutata prius alcalica acrimonia, prout non ſolum ETTMÜLLERVS in *kurtzen Begriff der Artzney-Kunſt p. 316.* & SYDENHAM in *Operibus p. 852.* demonſtrarunt, verum etiam Illuſtr. HOFFMANNVS, in *Diff. de Ira*, uberius confirmavit, aſſerens, quod purgantia, maxime fortiora, venenatam tunc induant indolem mortemque accelerent; confer. etiam *Commercium litt. Norimbergense Anno 1743. p. 321.* Si ab acrimonia acida, vel acido-bilioſa, bile viſcida, aut malo hypochondriaco Cholera humida foveatur, tunc ſalia media, uti Arc. ♀ ſiccum, ♀ ♂lat. methodo Tacheniana paratus, & ad indolem alcalicam accedens, Cryſtall. ♀i, &c. præcipue extra paroxyſmum, egregie conducunt; ſimiliter congrua deprehenduntur ſaponacea, Hb. amaricantes, ♂★ & laxantia, non omiſſis ♂atis atque absorbentibus, in refracta doſi temperandi fine adhibendis, his enim colluvies viſcida acris non modo corrigitur & reſolvitur, aptaque hinc ad excretionem redditur, ve-

rum etiam viscerum obstructiones referantur, ipsumque hoc malum funditus evertitur.

§. XXIV.

Cholera humida periodica duplicis generis est, vel critica & salutaris, vel perniciofa & lethalis. Salutaris, cum euphoria absque incommodo, teste HILDANO, PANAROLLO & HENRICO ab HEER, eveniens, ex nostra sententia sibi est relinquenda, ipsa enim natura excretionem, multo jam tempore durantem, sibi adeo familiarem, & tantum non necessariam reddidit, ut per has vias, quicquid cruditatum collectum est, aut est reliquo corpore ibidem deponitur, removeere soleat, citra evidens sanitatis periculum, unde nec supprimenda, nec alia ratione turbanda, sed diæta convenienti naturæ committenda erit. Periculosa vero, à latente abscessu, alio organico vitio, vel malo hypochondriaco dependens, aliud consilium postulat. Si à malo hypochondriaco originem trahat, cura eadem ratione erit instituenda, sicuti antea de acrimonia acida, acidoque biliosa dictum fuit, suos enim natales ab obstructione hepatis, pancreatis & lienis mutuatur, & adeo spissa, tenax ac viscida sæpenumero est, ut impellenti ventriculo intestinorumque canali haud obediat, omnemque evomendi atque alvum deponendi conatum eludat. Præstat itaque eandem salibus mediis, digestivis & incidentibus, præcipue extra paroxysmum, præparare, laxantibus eliminare, viscerumque obstructiones hac ratione referare, in quem finem a peritis Medicis thermæ Carolinæ & acidulæ Pyrmontanæ imprimis commendantur. A partium internarum ulceribus

ceribus

ceribus atque abscessibus si originem ducat, plerumque periodica evadit, & tunc curatio præter ea, quæ §. XXIII. ab initio indicata sunt, pro diversitate vehementiæ gradusque morbi diversimode erit instituenda. In principio usitata methodus ex sententia succedere solet, subveniendò nimirum resolventibus, aperientibus & alexipharmacis blandissimis, interponendo simul temperantia, emulsiva atque nutrientia, nec plane improbamus methodum superius adductam Sylvianam, circumspectam nimirum emetici exhibitionem in Cholera purulenta, si vires vigorque corporis id permittant, iisque confidere liceat; ast conquerentibus jamjam miseris de pristinæ alacritatis non modo depositione & insigni lassitudine, verum etiam plenaria propemodum virium prostratione, corporis fatiscencia & consumptione universali, itemque de calore hæctico, ac facillima ad iram proclivitate, tunc ex nostra sententia longe aliter morbo medendum erit. Resolutio, extenuatio, consumptio corporis, febrisque hæctica, ordinarii semper comites sunt ulceroso-suppuratoriæ corruptionis internæ, atque à continua & lenta M. S. & præcipue partium oleosarum resolutione dependent; cum vero ex chymicis constet, salium alcalicorum proprietatem essentialem in eo imprimis consistere, quod partes oleosas solvant, facile utique inde liquet, quod consumptio corporis febrisque hæctica, quoad maximam partem, à sale alcalico prædominante, & hoc a statu ulceroso-suppuratorio, corruptivo ac putredinoso proficiscatur. Salia itaque alcalica in M. S. contenta corrigenda, invertenda, & tem-

tem-

temperanda, partesque alibiles, gelatinosæ, restituendæ sunt. Prius obtinetur Hb. acidis, Acetosa, Acetofella, &c. succo Citri, salibus acidis, vel ad acidum accedentibus, Nitro depur. & antimoniato, Lap. prunell. Clystis mineral. refrigerantibus & inviscantibus, ut rad. Consolid. major. Conch. ppt. &c. præter omnia vero Nitro optime depurato. Partium alibilium restitutio fit per decocta mucilaginosæ, nempe hordei cum CC. hordei excorticati, præcipue vero alicæ avenacæ, frequenter usurpata. Ad plenariam vero curationem & sanationem promovendam, itemque discussionem & resolutionem in parte affecta feliciter absolvendam, fluidorum circulum æqualem reddendum, viresque revocandas, suademus, superatis exacerbationibus, leniter resolventia, alexipharmaca, nervina atque roborantia, inferius adducta, præcipue vero Ess. Pimpinell. alb. Scord. Gentian rubr. & Vincetox.

§. XXV.

Menses suppressi, hæmorrhoides, nephritis, &c. si comites humidæ Cholerae fuerint, subveniendum illis est V. Sine in pede, alvi solutione per clysteres temperantes & demulcentes, itemque aperientibus, præcipue salibus mediis, ac tandem roborantibus. Febris puerperarum acutis, variolis, &c. si superveniat, temperantia, bezoardica, absorbentia, speciatim vero Crystall. mont. reliquaque indicationibus principalioribus convenientia, sunt exhibenda. Rarissime enim & solummodo aliquando ab initio critici quid fovebit, ut plurimum vero internarum partium afflictarum inflammatio metuenda est, ad quam præcavendam, aut
remo-

removendam modo adducta remedia optime se gerunt. Melior quoque sperandus erit successus, si Emulsiones, ex aquis diapnoicis & antispasmodicis paratae, conjungantur, fofusque calidi loco dolenti applicentur. Ab adhibitis drastis purgantibus medicamentis si Cholera humida ortum trahat, de moderando perturbato ac nimio stimulo, & praecavenda partium internarum inflammatione, praecipue solliciti esse debemus, temperantia itaque theriacalia, opiata correctata, leniter resolventia & roborantia, videlicet aqua Cinnam. cydoniat. fofusque calidi, tunc exhiberi debent. Scabies versus interiora retropulsa, veneni instar afflictas partes offendit Choleramque humidam inducit, unde resolventibus saepius jam commendatis a centro ad peripheriam revocanda, insimulque regiminis ratio, ne eruptio praepediatur, habenda erit. De venenis eadem valent, quae ab initio §. XXII. jam adducta fuere, quo citius enim exterminantur, eo melius de vita hominis agitur. Conveniunt praeterea aqua tepida butyro pinguis reddita, ☉ Amygdal. dulc. Olivar. paulo copiosius assumenda, item etiam lac, quo tunc temporis efficacius vix datur remedium, impediunt enim talia, quo minus tunicae afflictarum partium ulterius erodi queant, dum vis caustica venenorum obtunditur, ferociaque ab iisdem induceta symptomata mitigantur. Conducunt porro etiam emulsiones ex sem 4. frigid. major. Papav. alb. Amygdal. dulc. additis aquis appropriatis, v. gr. Lil. convall. Cerasor. flor. Acac. Til. &c. nec non theriacalia, opiata correctata, pulv. absorbentes, antispasmodici, ∇ sigill. &c. A vermibus si excitetur

G

Cho-

Cholera humida, profunt anthelmintica, speciatim vero, si a sanguifugis profiscatur, teste experientia ☉ Amygdal. dulc. copiose exhibitum satisfacit, per vomitum enim hoc pacto tam sanguis concretus, quam hirudines rejiciuntur. Erosio tunicae interioris ventriculi & canalisi alimentarii eadem temperantia & corrigentia exposcit, nec non mucilaginosae pulveresque ex terris pinguibus paratos, v. gr. ▽ Lemn. ▽ sigill. spec. diatragac. frigid. sem. Lycopod. Electuarium diascord. Fracastor. ope trituræ cum pulverulentis remiscendum. In Cholera cruenta conveniunt præcipue temperantia, nitrosa, absorbentia, subadstringentia, spec. de Hyacintho, ▽ de Catechu, leniter anodyna, massa Pil. de Cynoglossa, tandemque rhabarbarina & mixtura tonico-nervina Stahlii, viribusque tandem recuperatis V. S. in pede.

§. XXVI.

Ratione Cholerae siccae prima indicatio itidem respicit objecti tendentis, flatuum nimirum atque saburræ viscido-acris, correctionem & remotionem. In paroxysmo optime satisfaciunt modo indicatis clysteres emollientes & carminativi, blando enim suo tempore partes afflictas, spasmis correptas, emolliunt, alvum reddunt lubricam, flatusque dissipando & exitum iisdem parando, inferunt levamen. Componuntur vero ex Hb. Alth. flor. Lil. alb. Chamomill. rom. Verbasc. Malv. sem. carminativis, in lacte coquendis, addito ☉ Chamomill. coct. vel Olivarum. Extra paroxysmum vero succurrendum erit salibus mediis

diis arc. duplic. Cryst. Tartari, præcipue vero Tartaro vitriolat. methodo Tacheniana parato, pauloque magis alcalico, rad. Gent. rubr. Vincetox. Pimp. alb. maritandis, blandioribus laxantibus simulque roborantibus, v. gr. Pilul. Beccher. Hoffmannianis balsamicis, vel Pilul. splenet. Sylvii, quæ egregie huc conducunt, itemque carminativis, Essent. Zedoar. Galang. Calam. aromat. Menth. carminativ. Wedel. Spirit. Nitr. dulc. cum $\text{r} \ominus \star \text{ci}$ vinos. remixto, Spirit. antiscorbutic. Deckeri, aliisque. Confirmatur hac ratione motus peristalticus, acidum corrigitur & invertitur, viscidum resolvitur & eliminatur. Similiter quoque egregie in his necessitatibus conveniunt aquæ salubres, viscerum obstructions reserantes, itemque balnea.

§. XXVII.

Præmissis itaque præmittendis, immutato nimirum Cholerae humidæ stimulo heterogeneo, saburra acri rejecta & evacuata, elutriatoque ventriculo atque intestinorum canali, (id quod spatium 2. vel 3. horarum fieri solet,) eo respiciendum erit, ut excretiones sistantur, spiritus intemperati sopiantur, & id, quod residuum est, vel corrigatur, vel alia ratione evacuetur. Singula hæc tunc præcipue locum habent, quando Medicus ad ægrotum tum demum vocatur, si jam jam ad horas 10. vel 12. vel diutius morbus duraverit, vires ademptæ sint, frigus extremorum, convulsiones aliaque perniciose compareant symptomata, tunc enim præstat temperantibus, antispasmodicis, analepticis & tonicis saluti ægrotorum prospicere, quam

G 2

ulterius

ulterius vacuantibus ultimam necessitatem adducere. Irritati itaque & acres spiritus placandi, sopiendi ac temperandi, fibræque nerveæ motrices, graviter spasmis defatigatæ, roborandæ sunt, cui scopo conveniunt nitrosa, antispasmodica, absorbentia, theriacalia, anodyna, subadstringentia atque balsamica, v. g. Nitr. antimoniæ. depurat. pulv. antispasmod. Hallens. lap. Cancr. succ. Citri satur. Corall. ppt. √ Lemn. & Melitens. Theriac. Andromach. Extract. theriacal. Elect. diascord. Fracastor. M. Pil. de Cynogloss. cydoniata, spec. de Hyacintho, omnesque Essentiæ balsamicæ. Insignem vero præcipue anodyna atque opiata correctæ merentur laudem, quamcunque enim temperant & corrigunt acrimoniam, maxime reliquis remediis decenti quantitate, dosi nimirum refracta, addita, imo quoque, testimonio & consilio peritorum, sola aliquando in graviore, atrociori ac difficiliore morbi statu exhibita, tum nimirum demum, si reliqua jam laudata exoptatum haud præstiterint effectum. Non minus etiam insignis usus esse solent Emulsiones §. XXIII. jam laudatæ, nec non Clysteres temperantes & lenientes, ex lacte & Theriaca, vel Rad. Ir. flor. Tormentill. Hb. Millefol. Sanicul. Fl. Chamom. rom. & ∞ Lil. alb. ad præcavendas alvi adstrictiones, bilemque educendam, perquam convenientes. In Cholera sicca salutaris obtinetur effectus iisdem jamjam laudatis, antispasmodicis, Oatis, absorbentibus, balsamicis, emulsionibus atque clysteribus.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Tertia indicatio respicit virium restitutionem, ubi in utraque hac Cholerae specie conveniunt salino-sulphurea, spirituosa, Aia, aromatica & carminativa, nec non olea destillata, balsama vitæ, analeptica & camphorata, quorsum pertinent succinata, Succin. alb. ppt. ejusque Essent. Elix. proprietatis, Liqu. CC. succin. mixtura tonico-nervina Stahlii, Zina, vina medicata, ▽ Cinnanomi, cum vel sine vino, Ess. Absynth. Citri, Aurant. Gent. rubr., Centaur. min., Galang., Zedoar. Essent. carminativ. Wedel. martialia tenuiora liquida, Tinct. Mart. aperitiv. Ludov. amaris interponenda atque jungenda, fofus calidi nervini, discutientes, ex Origano, Serpillo, Fl. Chamomill. rom. Sambuci, item crusta panis tosta, Cinnamomo, Nuc. Moschat. & vino generoso imbuta calide applicata, nec non Essent. Alexipharm. Stahl. Cort. Cascar. aliaque.

§. XXIX.

Congrua tandem præscribenda est diæta, ad præcavendum novum inprimis impetum. - Convenit ergo præcipue, ut corpus, & in specie infimus venter, a frigore probe muniatur, alimenta irresolubilia, fermentativa, acria & intense calida, nec non animi pathemata, præcipue excandescencia iracunda, qua fieri potest ratione, evitentur, alvus aperta servetur, ac reliquæ excretiones debite promoveantur. Si Cholera à malo hypochondriaco foveatur, speciatim exercitatio corporis motusque sufficiens egregie conducere solent.

De reliquo Illustr. HOFFMANNVS acidulas Swalbacen-
ses in his casibus præ omnibus aliis in Tractatu von
Schwalbacher Sauer-Brunnen p. 28. § 38. commendavit,
alii thermas Carolinas summis deprædicant laudibus,
Cel. SEIPIVS vero in Tr. von *Pyrmonter Stabl-Brunnen*,
p. 209. edit. prioris, Pyrmontanas omnibus aliis præ-
ferre non dubitat, quod arbitrio & judicio prudentis
Medici potissimum relinquendum esse du-
cimus.

T A N T V M.

S. D. G.



* * *

Fœdus amicitiae concors apparet in illo,
 Qui quoque de alterius lætatur forte beata,
 Et sua certatim celebrat solemnia vota,
 Ob quoque progressus faustos fidelis amici
 Veras lætities votis testatur avaris,
 Ipse sibi quidquid quærit contingere faustè,
 Ac alii fieri sincerè semper adoptat.
 Hinc ego lætitiis hodie perfundor amoenis,
 Summos dum gradus Doctõris adeptus Amice,
 Ob quod jucunde tibi, lætans gratulor ipse.
 Te gratis hodie circumdat honoribus illis
 Orbis, quæis dignum te dudum censuit esse,
 Palladis hinc sobolis nunc nomen & omen habebis.
 Vive ergo felix mihi, cinctus Apolline docto,
 Aurea Nestoreo celebra nunc secula cursu.

*Vota DeVotissima sva Cateris apponi
 CVplis servatis*

J. B. Med. Cand.

Non sibi desidias molles, non otia quærit,
 Qui veritatis amans officiique memor.
 Excitat ingenuam mentem vox Numinis alma,
 Nos operam semper quæ tolerare jubet,
 Cumque ferunt alii sibi præmia justa laborum,
 Crescit sedulitas, crescit amor studii.
 Hinc tua sedulitas, hinc tendit ad ardua virtus,
 Quæ tibi, mi HEINE, tui pandit honoris iter.
 Heu! quoties vastos ingressum clara labores,
 Increpuit dictis TE Philyrea suis.

Verum

Verum non studio labor hic excessit inani,
Jam studii fruges præmia digna ferēs,
Hinc decerpis flores, summos hic quæris honores,
Non negat hos meritis noster Apollo tuis.
Maçte proinde novis, mi laudibus HEINE decoris
Det Numen cœptis vela secunda tuis.

Ita

*Nobilissimo & Clarissimo Dn. Doctorando de egregio
specimine Inaugurali vobisque honoribus ex ani-
mo gratulatur amicorum infans*

J. A. ZANGERL, *Med. Auditor.*

Sic merito ascendis, sic ornas non sine laude
Eximiâ cathedram, gratulor ergo tibi
Cum cunctis illis, qui sunt tibi pectore juncti,
Fulgeat ut clarum nomen honore novo.

*Hæc pauca ex animo gratulabundus
apposuit*

JOH. HVGO FRANCISC. SPOENLA,
Med. Cult.

